



**M**ichael in Franconia honestis parentibus natus, & à pueris in omni genere literarum educatus est. Is cum prima fundamenta fœliciter iecisset, sese hinc inde ad uarias Academias contulit, atque artium & linguarum studia egregie didicit. In primis autem Historiarum lectioni incubuit, & earum usum sibi familiarem reddidit. Postea quoque Iuris studia coniunxit, & talem sese præstítit, ut summa laude utriusque Iuris Doctor crearetur. Huic eruditioni accedebat morum castitas & docendi perspicuitas. Id cum scho larchæ Argentinenses cognouissent, eum ad se uocarunt, atq; in celebri sua schola Historiarum professorem constituerunt. Eam functionem Michael modestè suscepit, & magno auditorum fructu administrauit. Inter alia uero studia ipse fastorum Romanorum siue Ephemeridos historiarum libros cōscripsit, atq; magna nomini existimatione edidit, cum quibusdam alijs huiusmodi. Hoc modo Beuterus etiamnum Argentinæ pergit, & omnibus doctis passim suis uirtutibus innotescit. Io. Op.